

EPISTULA LEONINA

CXLI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXL** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM PRIMAM (141) !

ARGUMENTA

1. HERCULES ET EURYTUS.....04-06
 2. NEOLOGISMI: *cindynologia - *climatophobia - *climatoscepticus.....07
 3. DE FRAUDE CLIMATICĀ (III).....08-24
 3.1 Wisnewski/Prof.Gerlich: Colloquium de fraude climaticâ factum.....11-15
 3.2 Prof. Lindzen: De mutatione climatis quid dicant scientistae.....16-19
 3.3 Grylli climatosceptici.....20-24

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
 SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
 centesimam quadragessimam primam.*

*Primo legas, quaeso, mythum graecum: agitur **de Hercule furibundo**. –*

*Altero autem loco sequuntur nonnulli **neologismi graecanici** ad clima
 spectantes. Ne obliviscaris verba ipsius Ciceronis: novis rebus nova
 verba esse imponenda.*

*In fine tibi praebeo tertiam partem **Fraudis Climaticae**: quâ a duobus
 professoribus rei peritissimis tractatâ denique venies ad climatologiam
 iocosam: gryllos, cara Lectrix, care Lector, climatoscepticos aspecta
 verbaque subscripta perlege: et risum ne teneas, amice !*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 141 tolle et lege et laetare
 et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Saturni, 09. m.Sept., a.2017



CROESUS IUSSU CYRI ROGO IMPOSITUS

ἀνενεικάμενόν τε καὶ
 ἀναστενάξαντα
 ἐκ πολλῆς ἡσυχίης
 ἐς τρεῖς ὀνομάσαι
 ‘Σόλων.’

Ferunt eum reffectum et ingemiscntem ex vehemente taciturnitate ter ‘Solon’ nominasse

HERODOTUS, *Historiae* I 86,3.

MYTHI GRAECI

a Gustavo Schwab narrati, a Leone Latino Latine redditi (48)

Hercules et Eurytus



Tot tantisque laboribus exanclatis Hercules tandem a ministerio Eurysthei liberatus Thebas revertit. Cum Megarâ uxore suâ, cuius cum liberos insaniâ correptus occidisset, îdem vivere non iam potuit; itaque illam Iolao consobrino suo dilecto uxorem concessit ipse novum connubium praemeditans. Hercules autem in amorem incidit Iolae pulchrae, filiae regis Euryti Oechaliensis in insulâ Euboeâ regnantis, a quo olim puer institutus erat arte sagittariâ. Is rex filiam suam ei viro promiserat, qui concertans se ipsum filiosque suos arte sagittariâ superaturus esset. Hôc nuntio accepto Hercules Oechaliam cum properavisset, gregi concertatorum se interseruit. Hôc in certamine îdem heros se vetere Euryto discipulum haud indignum fuisse demonstravit; nam illum illiusque filios superavit. Rex autem hospitem omnibus honoribus quamvis afficeret, tamen eius victoriâ vehementer territus est, nam fortunam Megarae recordatus timuit, ne

filiae suae fatum immineret simile. Itaque ab heroe rogatus dixit se de connubio diutius velle deliberare.



Emile-Antoine Bourdelle (1861-1929):
Hercules interficit aves Lacûs Stymphalici.
 Aenea statua inaurata a.1909 confecta

Interim Iphitus, filius regis natu maximus, coequalis Herculis, qui hospitis robur atque magnificentiam heroicam sine ullâ invidiâ laetê admirans eius familiaris factus vi persuadendi quam maximâ studebat patris voluntatem conciliare peregrino ingenuo. At Eurystus recusare perseveravit. Itaque Hercules laesus regno relicto diu per regiones extraneas pervagabatur. Res quae ei apud regem Admetum acciderunt, proximo capitulo narrabuntur. Interim nuntius a rege Euryto missus nuntiavit praedonem invectum esse in gregem boum regalem. Hoc reverâ factum erat ab Autolyco fallaci atque doloso, cuius furta longê latêque erant notissima. At rex irâ incensus: »Istud« inquit, »a nemine commissum est nisi ab Hercule; nam ultionem tam indignam a me exigit, quia ei liberorum sui ipsius interfectori filiam meam recusavi!« - Tum Iphitus amicis verbis benevolis defendens affirmavit se

paratum esse unâ cum Hercule quaerere boves ablatos. Heros autem hospite hospitaliter recepto paratum se praestitit iter cum Iphito facere. At rebus infectis reversi cum moenia Tiryntis ascendissent regionem perspecturi, ut boves ablatos alicubi invenirent, ecce denuo heros subito incidit in impiam illam insaniam; Hercules irâ Iunonis incitatus Iphitum amicum fidelem, quem cum patre conspirare suspicaretur, de altis moenibus Tiryntis praecipitavit.



Hercules furens. A.1620 pinxit Alexander Turchi Italianus.

**MYTHUM HERCULEUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**

LEO LATINUS



ECCE NEOLOGISMI GRAECANICI

1). **angl.** *alarmism*; **theod.** *Alarmismus, Panikmache, Angstmacherei*
fr. *alarmisme*; **hisp.** *alarmismo, tremendismo*; **ital.** *allarmismo*.

neogr. κινδυνολογία ; **lat.** ***cindynológia**, -ae f.

Quod verbum ducitur a verbo graeco, q.e. ὁ κίνδυνος; hoc valet *periculum*.

angl. *alarmist, scaremonger, panicmonger, doomsayer, prophet of doom, voice of doom.*; **theod.** *Alarmist, Panikmacher, Angstmacher*

neogr. κινδυνολόγος ; **lat.** ***cindynólogos**, ī- m.

2). **lat.** ***clīmatophóbia**, -ae f.; ***clīmatóphobus**, -ī m.

Climatophóbia est i.q. timor mutationis climaticae morbosus. Homines hōc timore affecti non credunt mutationem climatis hodiernam esse naturalem, sed credunt in hypothesin carbonei dioxydati, quamquam eadem abhorret a meteorologorum observationibus et mensurationibus neque ullâ ratione científicâ umquam sive practicê sive theoreticê demonstrata et comprobata est. Climatóphobi enim credunt mendacia sibi a falsis prophetis pecuniae potestatisque cupidis inculcata, qualis est Albertus Goreus (Al Gore), miliardarius climaticus praemio pacis Nobeliano honestatus; quodam furore religioso capti climatóphobi credunt clima mutari carboneo dioxydato ab hominibus emisso, culpâ peccatorum spiritum infernalem non solum ex fabricarum caminis autocinetorumque emissariis emittentium, sed ex ipsis oribus suis iterum iterumque exspirantium calefieri globum terrenum et ingravescere, immo effici atque oriri calamitates naturales, quales sint procellae, abundationes, siccitates, terrae motûs, montium ignivomorum eruptiones eqs. Itaque hominibus improbissimis indulgentias pendendas esse, i.e. vectigalia climatica vel similia, ut sibi dimittantur peccata sua emissoria.

3). ***clīmatoscēpsis**, -is f. - ***clīmatoscēpticus**, -ī m.

Climatosceptici hypothesin carbonei dioxydati addubitare audentes potius confidunt rationi científicae incorruptae quam falsorum prophetarum insusurationibus atque inculcationibus. Quibus persuasum est carboneum dioxydatum nequaquam esse venenum, sed substantiam mirabiliter vivificam sine quâ neque vivant plantae neque bestiae neque ipsi homines.

NEOLOGISMOS PROPOSUIT


LEO LATINUS





ET MITTUNT EOS IN CAMINUM IGNIS. IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM.

MATTHAEUS 13, 41sq. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.



DE FRAUDE CLIMATICA (III)¹



SCANDALO SCIENTIARUM OMNIUM MAXIMO

NECNON SCANDALO OECONOMIAE

PAEDAGOGIAEQUE

ALIIS LUCROSO ALIIS DAMNOSO

**MUNDUS VULT DECIPI:
ERGO DECIPIATUR.**

PARS TERTIA (III)

¹ fraus *climatica i.q. angl. *climate swindle*; theod. *Klimaschwindel*.

»Scientistae² nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis³ ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. *Falsificatio physica effectuum thermocepitorum*⁴, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carboneum dioxydatum⁵. Nulli sunt mechanisimi physici, quibus carboneum dioxydatum vim habeat ad clima mutandum, et sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carboneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non solum non demonstrari potest, sed est etiam f a l s a ...immo equidem ipse non dubito quin hac (*sententiâ publicê comprobâtâ*) scandalon scientiarum effectum sit maximum omnium temporum... Necnon agitur de scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«

Ralf D. TSCHEUSCHNER⁶

Physicus Germanus

»Aliquot centum miliardae dollariorum profusae sunt, ut hominibus theoria globalis calefactionis anthropogenae imponeretur, quae non sequitur ex indiciis physicis. Haec theoria hominibus vehementer imposita est fabularum horrificarum inculcatione, quae incipit fieri iam in ludi litterarii libris legendis«⁷.

Geraldo Luis LINO

Geologus Brasilianus

² *scientista, -ae m. i.q. theod. *Wissenschaftler*.

³ theod. *Klimawandel*

⁴ effectus *thermocēpicus i.e. theod. *Treibhauseffekt*. cfr. ngr. θερμοκηπίον i.q. theod. *Treibhaus*.

⁵ carbōneum dioxydātum i.q. theod. *Kohlen(stoff)dioxyd*.

⁶ orig.: Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER <https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8>

"Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, Prof. Gerlich und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: Die Falsifizierung der atmosphärischen CO2-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO2 (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO2-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch f a l s c h ...Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen, wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale - pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird..."

⁷ „Hundreds of billion dollars have been wasted with the attempt of imposing a Anthropogenic Global Warming (AGW) theory that is not supported by physical world evidences....AGW has been forcefully imposed by means of a scare stories and indoctrination that begins in the elementary school textbooks.”

cfr <https://wattsupwiththat.com/2010/11/14/climate-change-the-keywords-part-2-of-3/> Geraldo Luis LINO, geologus Brasilianus, qui scripsit librum a.2009 editum, c.t. est: “The Global Warming Fraud: How a Natural Phenomenon was converted into a False World Emergency”.

<https://www.youtube.com/watch?v=wCzAiVYSK2Q>

COLLOQUIUM INTERROGATORIUM
DE FRAUDE CLIMATICĀ
FACTUM



Prof.Dr. Gerhard GERLICH
(1942-2014)
R.I.P.

FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS

- *Physicus refert, mendacia climatica qualia sint* –

Prof.Dr. rer.nat. Gerhard Gerlich
a Gerharo Wisnewski interrogatus

(16.02.2011) *Hoc colloquium in Latinum convertit LEO LATINUS*

W(ISNEWSKI): Telephonans nunc saluto Dominum Professorem Doctorem *Gerhard Gerlich*, qui docet in Instituto physices mathematicae Universitatis Brunsvicensis. Salutem tibi dico, Domine Professor Gerlich. Potestne fieri, ut mihi breviter dicas, quale officium geras – ut nonnulla mihi referas de professione tuâ?

G(ERLICH): Dicam. Sum professor universitarius physices theoreticae, doceo in Instituto Physices Mathematicae, idque ex aeterno ferê tempore, ex a.1978. Antea functus sum munere assistentis et superassistentis et quolibet alio; chartam oblino rebus theoreticis scribendis.

W.: Bene. Aliquatenus etiam publicê innotuisti, cum aliis rebus tum eo quod monitionem calamitatis climaticae officialem vituperavisti. In hac monitione quidnam tibi displicet?

G.: Haec monitio mihi displicet, quia est fraus professionalis.

W.: Quatenus?

G.: Necessè est omnis homo scientiarum naturalium doctus intellegat istum atmosphaericum effectum thermocepicum non exstare. Tamen isto effectu mente conficto derivatur calamitas climatis eo, quod contenditur rationem intercedere inter carboneum dioxydatum aëris atmosphaerici particeps et temperaturam terrae mediam, quae neque potest mensurari neque computari. Necnon cum portio carbonei dioxydatio, quae inest aëri, minor sit, quam ut vim habeat ad gasi qualitates thermodynamicas, omnia illa non mensurari possunt. Totus effectus thermocepicus posita est in malis calculationibus, quae non confirmatae sunt mensurationibus.

W.: De hac re miror. Rectêne intellexi? Haecin temperatura terrae neque mensurari potest neque computari?

G.: Ita est, quia septenae centesimae partes (70%) superficiei globi terrestris sunt oceani, in quibus perpaucae sunt stationes mensoriae. Nobis non sunt data mensoria satis apta, ex quibus computari possunt valores medii.

W.: Sentisne systema temperaturas mensurandi, quod terrae est impositum, esse nimis lacunosum?

G.: Est. Non solum est nimis lacunosum, sed numquam sufficit calculationibus speculativis. Itaque calculationes speculativae, quae positae sunt his datis mensuriis, nihil sunt nisi fictiones.

W.: Ergo omnes illae temperaturae globi terreni mediae, quae nobis ferê cottidie minaciter inculcantur nihil sunt nisi merae fictiones?

G.: Sunt.

W.: Modo dixisti effectum thermocephicum, qualis semper describeretur, omnino non exstare. Cur non exstat?

G.: Neque ipse atmosphaericus effectus thermocephicus exstat neque eiusdem explicatio theoretica. Eandem falsam esse demonstrare scio.

W.: Quidnam tibi videtur de omnibus illis studiis calamitatis climaticae impugnandae? Si tu rectê iudicas, tota calamitas climatis nihil est nisi figmentum phantasticum.

G.: Est. Clima complectitur parametra certis locis terrae mensurata et valoribus mediis indicata. Tempestas ab hominibus mutari non potest, ergo clima quoque non potest. Unum ex altero sequitur ratione logicâ.

W.: Putasne hysteriam climaticam stabilem mansuram fore aut exspectas totam istam bullam fictionum spumosam aliquando displosum iri?

G.: A.1995 nos omnes consenseramus legibus oecologicis latis totam istam rem fore sublatam. Circa eundem annum accepi a quodam consiliario ministerii circumiectorum hanc ideam totam esse inanem et eodem modo ac ideam tabis silvarum¹ interituram esse. At infeliciter haec nostra futuri confidentia non ad veritatem adducta est, nam ista res stultissima (*idea calamitatis climaticae*) interim resurrexit, quia hōc modo hominibus pauperibus pecunia potest auferri ideoque divites possunt ditificari.

¹ *tābēs silvārum* orig. *Waldsterben*.

W.: Carboneum dioxydatum hôc tempore dicitur esse substantia quadamtenus infernalis, quasi sit venenum aliquod circumiectis nocentissimum. Quid tibi videtur de hâc maledictione?

G.: Scilicet istaec est perfida. Nam carboneum dioxydatum si deest, plantae non crescunt et sine iisdem neque homines vivunt neque bestiae. Ergo istaec est stultificatio plebeculae gravissima².

W.: Nonne aetates terrae calidiores prius appellatae sunt „optimae“?

G.: Ita est, rectê dicis. Medio aevo clima dicebatur optimum esse³. Homines sentiebant idem esse optimum. Itaque equidem semper illis contradicebam, qui hominibus inculcent tempestatem meliorem aliquatenus nocere.

W.: Scisne praedicere, qualis evasura sit ista hysteria climatica?

G.: Verisimile est fore, ut eadem etiam percrebrescat. Nunc iterum terror inicitur discipulis et parvulis. Qui noctu dormire non possunt timentes, ne avus Hammaburgensis aquis submergatur neve ipsi submergantur abundantationem aquarum in televisorio spectantes.

W.: Scisne explicare, quare ista idea calamitatis climaticae tantam habet vim ad homines incredibilem?

G.: A.1995 – ut iam commemoravi – nullum physicum aut opticum convêni, qui nesciret istam ideam esse stupidissimam. At hodie res aliter se habet! Quia scientistae, si indicant thema suum spectare ad climatis mutationem, accipiunt pecuniam investigandi! Itaque non iam ita certum est, utrum multi homines, quamvis bene sciant effectum illum (*sc. thermocepicum*) non exstare, nunc de eodem interrogati apertê respondeant an potius cautê in neutrius partem inclinati.

² orig. “*eine Volksverdummung erster Garnitur*”.

³ Prof. Gerlich videtur parum intellexisse, quid sentiret D. Wisnewski: Qui non dixit homines mediaevales clima suae aetatis optimum appellasse (nam iisdem clima priorum temporum cum ignorarent, cum suo comparare non potuerunt), sed geologos climatologosve clima variarum aetatum terrae inter se comparantes.

W.: Ergo scientistae, ut assentiantur hypothese calamitatis climaticae ab hominibus effectae, corrumpuntur pecuniis investigandi praebendis?

G.: Ita est! Talis autem investigatio appellatur moderna, efficax, mercede praemioque digna! Equidem tales investigationes appellare soleo *scientias praedispositas*⁴! Petitores petitioni iam inscribunt, quas res sint inventuri.

W.: Haec investigatio climatica estne interim quodammodo facta autonoma res industrialis?

G.: Est, est. Ita fit, quia tales negotiationes, qualis est industria autocinetica, quae (*propter emissiones suas tutelae climatis*) resistere exspectantur, nunc omnes isti rei assentiuntur. Quod eadem prioribus temporibus non fecerunt.

W.: Hoc autem scire cupio vehementissimè: Cur industriae, ad quas haec res plurimum spectat, immo, quarum producta ipsa (*a climatis tutoribus*) dicuntur infernaliter esse, non vehementius se defendunt contra istam ideam calamitatis climaticae. Scisne hoc explicare?

G.: Quia haec idea iis est lucrosa. Fabricatores enim autocinetorum semper volunt vendere autocineta nova. Itaque student emptoribus inculcare autocineta vetustiora esse nocentissima.

W.: Haec dixit Prof. Dr. Gerhardus Gerlich, qui docet in Universitatis Brunsvicensis Instituto Physices Mathematicae. Gratias plurimas tibi ago, Domine Professor Gerlich, pro hōc colloquio facto!

COLLOQUIUM GERLICHIANUM IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS



⁴ orig. "Proposal-Wissenschaft".

RICHARD LINDZEN
DE MUTATIONE CLIMATIS QUID DICANT
SCIENTISTAE



Richard (Dick) S. Lindzen

Professor meteorologiae, climatologus emeritus, qui docuit in Instituto Technologiae Massachussetsiano (MIT).

[ru.com/courses/environmental-science/climate-change-what-do-scientists-say#course-transcript](https://www.coursera.org/courses/environmental-science/climate-change-what-do-scientists-say#course-transcript)

Ego sum physicus atmosphaericus.

Publicavi plus ducentas symbolas scientificas.

Ex triginta annis doceo in Instituto Technologiae Massachussetsiano. Commemoratu dignum est h c spatio temporis clima non mutatum esse nisi paululo.

At clamores *calefactionis globalis* etiam etiamque vehementiores fiebant. Reverâ mutationes climatis quo minores fieri videbantur, eo maiores voces cindynologorum¹ climaticorum.

Itaque aëra purgemus et imaginem pingamus accuratiorē, ut videatur, quo loco reverâ stemus quaestionem tractantes calefactionis globalis aut, ut nunc appellatur, *mutationis climaticae*.

Sunt autem tres greges hominum hanc quaestionem tractantium:

Grex primus et secundus complectitur scientistas.

Grex tertius constat maximam partem ex politicis, oecologistis², diurnariis.

Grex primus consociatus est cum parte scientificâ Consilii Mutationis Climaticae Intergubernationalis³ (*IPCC = Intergovernmental Panel on Climate Change*). Huius consilii scientistae plerique putant mutationem climatis recentiorē praecipuê esse effectam fomitibus fossilibus, i.e. oleo, carbone, gaso terreno, comburendis. Idem putant carboneo dioxydato hac combustionē in atmosphaeram emisso fortasse planetam terram calefieri periculosê.

Grex secundus complectitur scientistas, quibus hoc problema non videatur esse magni momenti. Hic est grex, cui ego intersim. Solemus haberi pro scepticis. Nos dicimus multas causas esse, quibus clima mutetur – solem, nubes, oceanos, terrae variationes orbitales ita ut myriadem causarum aliarum.

Nulla earum tota intellegitur nec ullum est indicium, quo manifestum sit carboneum dioxydatum esse causam praevalentem.

Tamen hōc tempore greges scientistarum multis rationibus inter se consentiunt.

Sequentur nonnullae rationes, quibus inter se consentiant:

¹ *cindynólogus, -ī m. angl. *alarmist*.

² *oecologista, -ae m. angl. *environmentalist*.

³ Cōnsilium Mūtātiōnis Climaticae *Intergubernātiōnāle angl. *IPCC = Intergovernmental Panel on Climate Change*.

1. Clima semper mutatur.

2. Carboneum dioxydatum est gasum thermocepicum⁴, sine quo fieri non possit, ut in terrâ animalia vivant, sed eodem atmosphaerae addito fortasse fiat quaedam calefactio.

3. Ex aetate glaciali minore exeunte, quae fuit saeculo undevicesimo, portiones carbonei dioxydati atmosphaericae sunt exauctae.

4. Inter hanc periodum (i.e. duo saecula transacta) temperatura globalis media paululo et inconstanter aucta est 1.8 gradibus Fahrenheitianis sive uno gradu Celsiano; sed ex sexagenariis demum annis (1960's) emissiones thermocepicae humanae tantae sunt, ut vim habere possint.

5. Propter climatis complexitatem⁵ nulla fieri potest praedictio globalis temperaturae futurae aut effectus, quem eadem habere potest.

Consilium Mutationis Climaticae Intergubernationale in relatione suâ anni 2007 confessum est »praedictionem statuum climatis futurorum ad spatium temporis longius spectantem fieri non posse«.

Gravissimum autem est neutrum gregem scientistarum affirmare scaenarium speculativum⁶ (*scenario*), secundum quam fomitus fossilibus comburendis effectum iri calamitatem.

At quid est, cur tot homines de hac quaestione sollicitentur terrore vere panico correpti?

Hoc efficitur a **grege tertio**, i.e. a politicis et activistis circumiectorum et diurnariis.

Cindynologiâ calefactionis globalis magis quam ullâ re aliâ isti homines instruuntur rebus, quibus maximê egent:

Politici instruuntur pecuniâ atque potestate.

Oecologistae instruuntur pecuniâ organisationibus suis dandâ et confirmantur more paene religioso ideae dediti, qua homo credatur naturam generaliter eo fine adire, ut destruat.

⁴ **gāsum *thermocēpicum** angl. *greenhouse gas*.

⁵ **+complexitās**, -ātis f. angl. *complexity*.

⁶ **scaenārium speculātivum** angl. *scenario*.

Diurnarii autem calefactione globali utuntur ad ideologiam inculcandam, ad lucrum accipiendum, ad consumptores attentiores reddendos.

Scaenae apocalypticae bene veneunt.

Inter decennium modo transactum scientistae extra physicen climaticam versantes quodammodo tramen vehens insilientes scripta sua publicabant contententes calefactionem globalem causam esse cuiuslibet mali sive morbi acnes sive belli civilis syriaci.

Feneratores autem vaferrimi cupidê corripiebant subsidia pecuniaria, quae a gubernationibus dabantur abundantissimê.

Infeliciter accidit, ut grex tertius ex controversiâ evadat superior, quia îdem strepitu obruit disputationem graviorem, quae est incohanda.

At quamvis politici et oecologistae et diurnarii profundere possint multum pecuniae multisque hominibus terrorem inicere, tamen non poterunt sepelire veritatem.

Ultimum autem verbum de hac re faciet clima ipsissimum.

Sum *Richard Lindzen*,

Professor emeritus scientiarum atmosphaericarum

qui docuit in MIT (= Instituto Technologiae Massachusettsiano)

**VERBA LINDZIANA
IN LATINUM CONVERTIT**

LEO LATINUS



GRYLLI¹ CLIMATOSCEPTICI



Klimaschutz-Kasper füttert zeternd die CO2-Phobie

Maccus tutelae climaticae ruberrimus eiulans exauget timorem carbonei dioxydati morbosum: »Ecce denuo lamina glacialis abrupta! En pileos polares² liquescentes! Timete vehementer!« - *At in polo australi res omnino aliter se habet: Massae glaciei omnium umquam crassissimae, gelu vehementissimum.*



Engpaß in der Hexenküche

En cancellariam saganam inopiâ laborantem: Terror climatis panicus – oeconomia climatis coacticia - »Schellnhuber! Affer plus cremiorum!« - »Statim afferam, Domina!« - *Novae investigationes climatis terrificae. (Prof. Jörg Schellnhuber, "papa climatis" haud infallibilis, Germaniae summus cindynologus semper paratus ad apocalypsin praedicendam. Scripsit de calefactione globali librum crassum, c.t. »Selbstverbrennung« (combustio sui ipsius). Hôc titulo miseris Germanis tantum terrorem incit, ut sequantur praecepta saganæ climatica calamitosa tamquam bestiae brutae mutmut facere non audentes).*

¹ **gryllus**, -ī m. angl. cartoon; theod. Karikatur; fr. caricature; hisp. caricatura; ital. caricatura, vignetta. He.310, s.v. Karikatur: gryllus, -i m. [PLIN.nat.35,114]; Karikaturist: *gryllógraphus, -i m. [Gr.].

² **pileus (glaciē) polāris** angl. polar (ice) cap; theod. Polkappe; fr. calotte polaire; hisp. capa (de hielo) polar; ital. calotta polare.



"Ich sehe ... ich sehe 300 Milliarden Euro Mehrumsatz, wenn Sie hier unterschreiben!"

Ecce cancellaria vaticinatrix: »Video te, si his verbis nomen tuum subscriperis, accepturum esse trecentas miliardas euronum additicias !« Verba sunt: CREDO IN MUTATIONEM CLIMATIS AB HOMINIBUS EFFECTAM. – Exspectant lucripetae: Inspectores aedificiorum (climatici) – syngrapha energiae – fabricatores rotarum aeolicarum – fabricatores lampadum, quibus energiae parcitur. – fabricatores materiarum caloris retinendi – climatologi politicis oboedientes.




Drei Jahrhunderte Aufklärung für die Katz

Cum frustra homines per tria saecula rationalismi moniti sint, ut sapere auderent, tamen denuo credunt in doctrinas supersticiosas sibi a cancellariâ inculcatas: OLIM: »Omnis infantulus iam scit malo oculo lac coagulari!« - »Rectê!« - »Ita est!« - »Audite verba Mammae!« - »Quando cenam nobis dabis?« - HODIE: »Omnis infantulus iam scit lampadibus incandescentibus clima peiorari!« - »Rectê!« - »Ita est!« - »Audite verba Mammae!« - »Quando munera ministrorum nobis dabis?« -



© Götz Wiedenroth - www.wiedenroth-karikatur.de
www.wiedenroth-karikatur.blogspot.com

Ecce vates climatis *Mojib Latif* parum verax naso Pinoculi instructus (a.2000): "Hiemes praegelidae et nivosae nostris in regionibus non iam erunt."



© Götz Wiedenroth - www.wiedenroth-karikatur.de
www.wiedenroth-karikatur.blogspot.com

Der Diplom-Volkswirt-Klimagroßinquisitor auf Autodafé-Tournee

Ecce Magnus Inquisitor Climatis diplomate oeconomiae cameralis instructus magnum iter Actûs Fidei faciens. *Jochen Flasbarth*, Praeses "Foederalis Officii Circumiectorum" necnon Tutor Climatis Cardinalis homiliam habet a disciplinâ suâ scientificâ alienam: "Heus vos baburri stupidissimi qui estis: Credite in CULPAM vestram et pendite INDULGENTIAS vestras CLIMATICAS!" Supra eum legitur titulus libelli a magistratu suo editi, sumptibus civium impressi: "Tamen terra calefit!" In recessu sunt rogi fumantes, in quibus comburuntur haeretici culpâ climatis nefandâ maculati. Raeda Magni Inquisitoris trahitur ab asino Professore Iohanne Ioachimo *Schellnhuber* in carotam euronicam avidè inhiante, qui mandatu gubernationis, sumptibus populi investigat effectûs climatis (a.2013).



Climate saver world back in order


Mundus servatorum climatis restitutus: Eorum vaticinia cum paulisper in dubium vocata essent, nunc Papa climatis novâ cognitione declarandâ curat, ut denuo sint credibilia. Diurnarius: »Professor *Schellhuber*, abundamus nive atque glacie – licetne nunc desistere a carboneo dioxydato evitando?« - »Proximâ relatione Consilii Mutationis Climaticae Intergubernationalis (IPCC) pendentur cognitiones speculativae – uhmm ... inquam, maximê spectabiles: Carboneum dioxydatum est etiam gasum, quo efficiatur nix!«



ECCE ALBERTI GOREI VERITAS INCONVENIENS: Cinemate suo monstrato temperatura globi terrestris mensurata vehementer discrepat a praedictâ.



Auctores Consilii Mutationis Climaticae Intergubernationalis (IPCC), cui praepositus est *Narendra Pachauri*, relationem climaticam conscribunt quasi coqui in coquinâ commisceant saturam aut iusculum syncerastum. Praepositus iisdem imperat: »Additamenta cum inicitis, vultum contrahite more maximê scientifico!«



COLLOQUIUM CLIMATIS FASTIGIOSUM: Quid si haec omnia nihil sunt nisi iocus vanus et novum mundum meliorem aedificamus frustra?

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM PRIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Saturni, d.9. m.Sept., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>